

Hermann Becker

**Rectore Academiae Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino,
Domino Friderico, Duce Et Principe Hereditario Mecklenburgico ... Ad Dies
Festos Ivcvndissimæ Resvrrrectionis Domini Nostri Et Salvatoris Iesv Christi
Pietate Decenti Peragendos Civibvs O. O. Honoratissimis Svi Memor Officii
Rationes Alias Atqve Alias Moventes, Occasione Dicti Jo. II. 19. Qvasdam
Veritates Divinas Hvc Pertinentes**

[Rostock]: Litteris Adlerianis, [1753?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876597185>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1753 Ostern

~~M-1256.~~ 321.

011.1753.
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
DUCE ET PRINCIPE
HEREDITARIO MECKLENBURGICO,
PRINCIPE VANDALORUM, SVRINI AC RACEBURGI,
COMITE SVRINENSI, TERRARVM ROSTOCK
ATQVE STARGARDIAE DOMINO,
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO

AD
DIES FESTOS
IVCVNDISSIMÆ
RESVRRECTIONIS
DOMINI NOSTRI ET SALVATORIS
IESV CHRISTI

PIETATE DECENTI PERAGENDOS
CIVIBVS O. O. HONORATISSIMIS


SVI MEMOR OFFICII
RATIONES ALIAS ATQVE ALIAS MOVENTES,
OCCASIONE DICTI

JO. II. 19.
QVADAM VERITATES DIVINAS HVC
PERTINENTES

ILLVSTRATVRVS SVPPEDITAT
HERMANNVS BECKER,

LL. DOCT. ET INSTIT. P. P. O. SENAT.
ACADEMIAE HODIE PRO-RECTOR.

✽
LITTERIS ADLERIANIS,
✽



M. 1256 324

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS
AC DOMINO
DOMINO FRIDERICO



DIE SEPTIMA
LXXV
RESVARECTIONIS
DOMINI NOSTRI ET SALVATORIS
IESU CHRISTI

CIVIBVS O HONORATISSIMIS
ET MEMOR OPTIMI
MEMORIAM AQUE ALIAS MORTALES
OCCASIONE MORTIS
JO. H. 10
OASDAM VERITATES DIVINAS HVC
IN ATTEMPTIS

HERRMANNVS BECKER,
LE DOCT. ET LICET. P. O. SENAT.
ACADEMIAE HOBELTIO RECTOR
P. O. SENAT. O. SENAT. O. SENAT.
LITTERIS ADIACENTIS



Pro officii ratione, ad dies, gratæ resurrectionis Iesu Christi memoria dicatos, devote sancteque peragendos, Vos, *Cives O. O. Honoratissimi*, excitaturus, inter alia, pie meditando, in Salvatoris nostri effatum incidi: *destruite, sive, imperativo hic loci in conditionalem mutato enunciationem, si destruat is templum hoc: in tribus diebus erigam illud* Ioh. II. 19. Et nescio, an ullum aliud Scripturæ sacræ dictum maiorem pro scopo in mentibus nostris aculeum possit relinquere. Est enim, ad quod ab ipso Iesu tanquam ad certissimum fidei documentum futurum ablegabantur Iudæi, signum postulantes, quo se esse Messiam promissum sive Christum filium Dei, qui, teste Scriptura S. Pf. LXIX. 20. fervore domus divinæ correptus, mercatores e Patris sui domo coniciendi gaudet potestate, probaret v. 14-18. Est, quo in gravissimum Christi contra omnem religionem suam crimen, veramque eum capitis accusandi causam Iudæi putabant versari Matth. XXVI. 61. ex eo ipso tam Iesum per Deum vivum, ut diceret, utrum esset Christus, adjurandi v. 63. quam in eum cruci

affixum, quasi fortem nulla ratione vero Messia dignam passum convicia coniciendi XXVII. 29. 40. fumentes occasionem. Est tandem, quod, resurrectione Christi vix peracta, angeli a Deo missi, ejus discipulis, & piis uxoribus, in memoriam revocabant Luc. XXIV. 7. 8. quod & hos ad fidem scripturae, sermonique Salvatoris sui, praebendam commovebat. Ioh. II. 22. Quid autem homini Christiano gravius, quam, a quo omnem fidei suae certitudinem, ipso iudice Iesu, petat? quid ipsi significantius, quam, quo omnem impiorum Christianique inimicorum cohortem contra eum suamque fidem unice moveri posse videat? quid denique ipsi salutarius dictum esse potest, quam, quo mentes maxime incertas, dubias, quid quod ad magistrum suum derelinquendum pronas, ad eum quam fortissime trahi, de veritate dictorum ipsius convinci, & ad fidem in illum impelli, cognoscat? Nec ullus dubito, quin & eadem in nobis oriantur effecta, cum eundem mecum, quem Vobis occasione hujus dicti ostendam, tramitem, templum Dei hoc festo tempore petentes, sitis ingressuri. Iesum, templi destructi restitutionem intra dies tres promittentem, ad sui corporis mortem ejusque a mortuis excitationem respexisse, nec templi proprie dicti reaedificationem, prouti Iudaei pro significatione dictionum propria ex errore arbitrabantur v. 20. esse pollicitum, ipse Spiritus Sanctus, mentis Christi optimus interpres, in subsequenti versu 21. declarat. Quae tropica, templi pro corpore Iesu sumti, locutio tam elegans est, quam ipso codice sacro fundata. A Paulo enim edocti novimus, tabernaculum Levitarum, adeoque templum, quod in ejus exemplar atque locum exstructum erat, typum fuisse corporis Christi Ebr. IX. v. 11. a) Novimus carnem illius vela-

- a) Vinarienses Commentatores ita hoc dictum explicant: Christus ist kommen u. s. w. durch eine grössere und vollkommere Hütte seines Leibes, d. i. seiner angenommenen menschlichen Natur, in welcher die ganze Fülle der Gottheit wohnet Col II. 9. wie vor Zeiten Gott der Herr in der Stifts-Hütten wohnete.

velamento sancti sanctorum hujus tabernaculi denotari. Ebr. X. 20. Novimus denique, & ipsum constitutum a Deo esse propitiatorium in remissionem peccatorum. Rom. III. 25. Quid igitur mirum, quid Iudaeis potuit insolitum esse, cum templum ac illius partes praecipuae figuram Christi ejusque corporis, ex ipsa Dei dispositione, sisterent, Iesum templi & typi denominatione suum ipsum significasse corpus? Longe enim eminentiori artiorique modo, hoc est, corporaliter in illo tota Deitatis plenitudo habitat Col. II. 9. quod Filius Dei unione personali se cum humana Christi natura conjunxit Joh. I. 14. ita, ut haec Dei domus templi nomen prae Iudaeorum mereatur templo b). Interim Iudaei, licet hanc Christi dictionem false de suo interpretarentur templo, fat tamen rationis habere potuissent, unde, destructo ab ipsis hoc Christi templo, & suum non longe post destructum iri colligerent. Etenim cum hac praedictione tanquam signo veritatis certissimo Iesuse eos edocere vellet, se esse promissum Messiam: legis & prophetarum periti, nec praeiudicata opinione falsa de mundano Messia occupati, facile vident, eum simul de interitu templi, & civitatis, & totius Levitici cultus esse locutum. Christo exciso civitatem & sanctuarium a populo principis eversum iri atque hostiam & sacrificium esse defecturum, satis clare vaticinatus est Daniel cap. IX. 26. Et cum vetus Testamentum non nisi novum praefigurasse cognitum esset Hebr. VIII seqq.: adventante novi foederis mediatore, eoque, tanquam sacerdote futurorum bonorum, per longe majus perfectiusque tabernaculum, quod manu factum non est, suo sanguine in sanctissimum ingresso, aeternamque redemptionem merente, IX. 11: quid illo veteri templo, quid ejus sacerdotibus, quid eorum victimis adhuc indigeremus? En fat largam hos Paschatos dies festos pie peragendi materiam! Tempia ubique personant de Resurrectione Christi:

A 3

fti:

b) *Rabbi Moses Gerundensis: sanctuarium, inquit, sanctuariorum est ipse Messias sanctificatus de filiis David. Vid. Grotii Annot. in Libr. Evang. ad Joh. II. 19.*

Si: haec illius mortem in memoriam revocat: mors iterum
 perfectum pro nobis & in aeternum valens sacrificium Ebr. IX.
 perpetuum & verum Pontificem, rationem Dei colendi sub lege
 ceremoniali, nimis anxiam duramque, esse abrogatam, victimas
 pecudum sublatis, templumque destructum. Quot argumenta,
 tot gaudendi, Deoque hoc tempore gratias agendi, pondera. Gau-
 deamus pia in Salvatorem mente, nos in illa incidisse tempora,
 ut neque in aliquo monte cum Samaritanis, neque cum Judaeis
 unice Hierosolymis, sed ubique locorum in spiritu & veritate
 Patrem adorare Joh. IV. 21. atque in nomine Jesu invocare
 XVI. 23. seq. opus sit. Interim recordemur & corpora nostra
 esse spiritus sancti 1 Cor. VI. 19. & nos Dei viventis templa,
 in quibus habitabit ambulabitque, ut, quemadmodum ille est
 Deus noster, & nos ipsius simus populi, exeuntes de medio ido-
 lolatrarum, & separati ab illis, nec immundum tangentes 2 Cor.
 VI. 16. 17. cum, emti pretio sanguinis Christi, Deum in corpore
 nostro & spiritu, quae sunt Dei, glorificemus 1 Cor. IV. 20.
 Gaudeamus loco sanguinis bouum atque hircorum, ad delenda
 peccata per se nihil facientis, Ebr. X. 4. sanguine Christi aeter-
 nam inventam esse redemptionem IX. 12. Interim ab ortu Solis
 usque ad occasum magnum sit nomen Dei ingentibus, & in om-
 ni loco sacrificetur & offeratur nomini ejus oblatio munda
 Malach. 1. 12. cum per Christum ipsi offeramus semper hostiam
 laudis, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.
 Ebr. XIII. 15. Gaudeamus denique, non hominem peccatorem,
 pro se ipso victimis offerendis indigentem, nostrum ergo sacri-
 ficia facere, coram Deo apparere & intercedere, id quod per se
 nullius esset valoris Ps. XLIX. 8. 9. sed Pontificem pium, inno-
 centem, impollutum, segregatum a peccatoribus, & sublimio-
 rem coelis factum, nobis contigisse, qui pro nobis interpellat &
 salvos facere ad plenum potest, qui Deum per ipsum adeunt
 Ebr. VII. 26. 27. Sed & ipsum divino prosequamur cultu, cum
 in eo totam plenitudinem Deitatis tanquam in templo corpora-
 liter habitare supra jam cognovimus. Id quod adhuc alia rati-
 one

one ex nostro dicto tum probari, tum magis magisque determi-
nari potest, ut simul & Salvatori nostro secundum naturam hu-
manam illum divinum competere adorandi cultum appareat
distinctius. Etenim ex effato hoc Christi secure concludere pos-
sumus, tum ad divinam ejus naturam, tum et cum humana na-
tura, ob arctissimam divinae cum hac unionem personalem, divi-
na communicata esse *ἀρχήματα*, sive attributa maiestatica. Quis,
quaeso, est, qui corporis sui templum iterum eriget, i. e. qui se
mortuum resuscitabit? Jesus, Filius hominis, Filius Mariæ. Joh. V.
27. Matth. I. 16. 18. Num autem meri hominis est, mortuos ex-
citare, an solius Dei? Dei, puto, cum inter effecta, vires naturae
excedentia, hoc, nemine contradicente, habendum sit maximum
c). Igitur, cum Jesus se ipsum excitaturum esse, cum vitam suam
deponendi & iterum accipiendi potestatem habere praedicit
v. 19. X. 18; manifesto eum non merum hominem, sed & Deum
esse apparet, ita, ut secundum carnem veniat a patribus, & Deus
sit benedictus in secula seculorum Rom. IX. 5. Quam con-
cludendi viam, ab eo, quod Christus se ipsum excitavit, ad eius
divinitatem, eo securius ingredimur, cum Paulum habeamus
ducem, qui Jesum Christum natum e semine Davidis se-
cundum carnem, sive *humanam naturam*, ex resurrectione a
mortuis, & *per illam*, secundum Spiritum sanctificationis sive, *divi-
nam naturam sanctam*, cum potentia, sive *omni exceptione maiori*, & *ad
fidem omnibus abunde faciendam, sufficienti, modo, adeoque efficacissime*, de-
claratum esse filium Dei, diserte profitetur Rom. I. 3. 4. d) Hoc
autem

c) Vid. *Mart. Knutzenii Philos. Bew. von der Wahrheit der Christ-
lichen Religion* Abth. VI. S. 74. p. 195. seqq.

d) Vid. *Baumgartenii Programmat. Acad. VI. ad Rom. I. 4.* Cu-
ius sensum, ex hoc oraculo, divinitatem Christi resurrectione ipsius
evidentissime demonstrari, evicturus, ita exprimit: *Christus effica-
cissime fuit declaratus filius Dei per resurrectionem a mortuis secun-
dum divinam naturam.*

autem ex effato Christi non apparet solum, quicquid etiam in contrarium Sociniani e) effutiunt, Iesum se ipsum resuscitasse, sed & idem secundum humanam suam fecisse naturam, in unionem personalem a divina assumtam. Cum enim Iesus ex duabus constet naturis Rom. IX. 5. inter se tam arctissime unitis, ut ipse *λέγος* caro factus esse dicatur. Joh. I. 14. & Iesus se resuscitaturum polliceatur: divinam ab humana natura in hac excitatione non separare, sed coniunctam cum illa oportet cogitare, ut utramque hoc perfecisse statuendum sit. Quid autem inde aliud sequitur, postquam resurrectio non nisi virtute suscipi possit divina, quam virtutem illam Christo, qua Deo, non propriam solum esse, sed & hanc per & propter unionem personalem a divina cum natura humana esse communicatam. Id quod simul cum resurrectione, a Christo secundum humanam naturam quoque perfecta, ex aliis non minus apparet sacrae scripturae locis, scilicet, quando Pater filio suo, nempe illi, cui dedit potestatem iudicandi, id est, filio hominis, Jesu, Joh. V. 27. 19. vitam in se ipso habere dicitur dedisse V. 26. quando carnem Christi esse vivificam, sive vitam largientem affirmatur Joh. VI. 51, quando secundum eam naturam, qua vitam deponendi potestatem habet, & illam reassumendi gaudere asseritur virtute X. 18. Et hoc inter alia est, quo in nostra a Calvino Reformata differt Ecclesia, atque suam praerogativam versari & gloriam jure arbitratur. Christi enim gloriam suam esse agnoscit Domino huic gloriae subiecta. Hinc & nobis suo praelucet exemplo, ad quod imitandum toties, quoties causam hujus resurrectionis, id quod toto, praecipue autem hoc festo, die a nobis fieri debet, contemplantur, ipso nostro admonemur dicto, Iesum

e) *Socinus* in Disp. de unigeniti Dei filii existentia. Catechismus Racow. Cap. XII. de officio Christi, & alii. Vid. pluribus *Quenstedii Syst. Theol.* P. III, Cap. III. Mem. III. sect. II. pag. m. 435.

sum Christum non agnoscit & prædicat solum Deum benedictum in secula seculorum, sed & secundum humanam naturam nomen accepisse profiteretur, quod est supra omne nomen, ut in eius nomine cum coelestibus, terrestribus, & inferis, genua flectat, & lingua profiteatur, quod dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei Patris, Phil. II. 9. 10. 11. Cujus cum simus filii genuini, quid est, quod immoremur, nec cum matre hac sapientissima probissimaque linguas nostras extollamus, ac Christum, qua Deum, & qua hominem quoque, propter subsistentem hypostasi divina ejus naturam humanam, cultu prosequamur divino? Nonne præter ea argumenta e resurrectione Christi fluentia, quod sit Deus, quod & attributa divina cum humana natura sint communicata, ex nostro etiam dicto edocemur, *nostrum* non minus esse Deum, *nostramque*, iustitiam, sive verum & unicum hominibus a Deo destinatum Redemptorem? Supra enim jam commemoravimus, ipsum Iesum his verbis ad suam provocasse resurrectionem, ex qua Judæi colligerent, se esse Messiam patribus promissum. Equidem nullum certius veritatis hujus evincendæ argumentum potest excogitari. Cum enim mortuorum excitatio virtute divina peragi possit unice; Deus autem, neque in mendacia seductoris unquam consentiet, neque ad seducendos homines ipso facto aliquid conferet: quemque falsi nominis Messiam, cum David El David, morti succubiturum, nec sua intra aliquot dies promissa impletaque resurrectione falsam suam hæresin confirmaturum esse, certum est, quam quod certissimum. Igitur cum Iesus se professus sit Christum, filium Dei, Matth. XXVI. 63. 64: cum tota vita, passione, morteque impleverit, quae Prophetæ de futuro Messia fuerunt vaticinati: cum denique morti traditus tertio die a mortuis resurrexerit 1 Cor. XV. 4.; non est, quod dubitemus de veritate ipsius sermonis. Resuscitatus est, prout David de vero prædixit Messia. Ps. XVI. 10. Resuscitatus est a Deo Act. II. 32. Rom. X. 9. qui ius habebat sponsorem & vadem detinendi, nec certe eum, nisi ultimo quadrante soluto, dimisisset. Matth. V. 26. Resuscitatus est a se ipso adeoque se verum Deum & hominem esse ostendit, qualis Messias

B

est

est promissus Jer. XXIII. 5. 6. & esse debet, ut Mediator inter Deum & homines possit esse. Is ergo Iesus, qui a morte resurrexit, non potest non, & secundum scripturam, & ex voluntate ac consensu divini iudicis, & pro internis Messia veri qualitatibus virtutibusque, verus esse Christus, unigenitus Dei filius. Quod argumentum a resurrectione desumptum tanti etiam est valoris tantaque necessitatis, ut simul cum eius destructione tota nostra, ipso Paulo iudice, corruat fides, 1 Cor. XV. 17; eo autem adstructo, religionis nostrae veritas tam firmis nitatur fundamentis, ut portæ inferorum nihil contra eam valeant Matth. XVI. 18. Num igitur mirum est, infensissimos Christi nominis hostes, ut nos hoc fortissimo deiiciant depellantque munimento, omnem movere lapidem? Num mirum est, eos, omnibus fractis telis, tandem vel per insidias cum *Spinoza* f) agere, & resurrectionem Christi spirituali ratione explicare, vel cum impudentissimo *Edelmanno* g) insanire, & Christum resuscitatum, cum spiritum suum corpore mortali emisit, profiteri malle? Quibus unico verbo secundum ipsum hoc effatum Christi obviam ire possumus. Mentiris, *Spinoza*, resurrectionem fingendo spiritualem, quae nihil aliud involvat, quam quod Christus aeternitate sit donatus, sancte vixerit, & nobis vita ac morte singularis sanctitatis exemplum dederit, hacque ratione e mortuis nos susci-

f) Epist. XXIII. p. 454. Concludo itaque, inquit, Christi a mortuis resurrectionem revera spiritualem & solis fidelibus ad eorum captum revelatam fuisse, nempe, quod Christus aeternitate donatus fuit, & a mortuis (mortuos intelligo hic eo sensu, quo Christus dixit: finite mortuos suos sepelire mortuos) surrexit, simul atque vita & morte singularis sanctitatis exemplum dedit & eatenus discipulos suos a mortuis suscitavit, quatenus ipsi hoc vitae eius ac mortis exemplum sequuntur. Vid. *Buddei* Instit. Theol. dogmat. Lib. IV. Cap. II. §. XXV. not. 3. p. 794.

g) Vid. Frid. Wagneri *Wahrheit und Götlichkeit der Heiligen Schrift und Christl. Religion wieder Joh. Christ. Edelmann*. Sect. II. Praef. §. VIII.

scitaverit. Mentiris & tu, *Edelmann*, ita audacter mortem Christi pro eius venditando resurrectione. Nam ipse Iesus dixit, se suum corpus tribus diebus erecturum, vel vitae restitutum esse. Num hoc est, se ipsum sensu spinoziano aeternitate donare, & sancte vivere, aut exemplo sanctitatis & alios ad eandem vitae sanctimoniam perducere? Num hoc est, se corpus destructurum esse & relicturum? Cum discipuli corpus Christi in sepulcro quaerent, nec invenirent, postea autem Christum palparent & cibum capere viderent: num hoc idem est cum tua spiritali resurrectione, *Spinoza*, aut num hoc idem est, *Edelmann*, ac in sepulcro corpus inventum esse inanimatum & alium seductorem se gessisse pro Christo & a discipulis agnitum fuisse. Nemo autem nostrum non videt, utrumque insanire, & cum se crederent esse sapientes, factos esse stultos. Interim, quantum infidelium interest, Christum esse suscitatum, negare, tantum nostra, in religionis nostrae certitudinem, in fidei, qua salvamur, integram notionem & naturam Rom. X. 9. ac in nostram iustificationem & salutem Rom. IV. 25. & I Cor. XV. 17. interest, nosse, eum surrexisse. Igitur cum his diebus festis occasio, ad hanc cognitionem perveniendi, vel eam confirmandi, omnibus sacris dabitur concionibus: non erit, quod vobis, *Cives O. O. Honoratissimi*, praeter necessitatem huius cognitionis evictam, calcar, ad templa diligenter frequentanda, & in hoc etiam officii boni Christiani partem implendam, meis addam admonitionibus. Aperient vobis hi sacri & laeti nuntii sepulcrum Christi, ut locum, ubi Salvator vester positus fuit, ipsi videatis vacuum Matth. XXVIII. 6. Demonstrabunt, tum ex timore & diffidentia discipulorum Luc. XXIV. 20. tum ex custodum romanorum diligentia, tum ex illorum apud principes sacerdotum relatione Matth. XXVIII. 11. seqq. tum ex minus cohaerenti & in mendacium composita eorum narratione v. 13, neminem eum clam fuisse furatum. Testes in medium producent, non unum atque alterum, sed ultra quingentos I Cor. XV. 6. non auritos, sed oculos Act. X. 41. non nimis credulos Luc. XXIV. 11. aut phantasia vel spectro deceptos v. 39. sed usque ad injuriam fere incredulos Joh. XX. 23. & auribus


ribus, & manibus, & oculis, quid quod omnium sensuum usu convictos 26. 27. Luc. XXIV. 39. 43. non variantes suo testimonio, Rom. X. 8. 9. aut lucri cupidine vel immortalitatis spe captos Phil. III. 7. Gal. V. 6 sed idem semper affirmantes, coram iudicio & mediis in cruciatibus constantes, & plus odii atque contemptus, quam amoris honorisque sibi a maxima & potentiore hominum parte promittentes 1 Cor. IV. 9. seqq. Nec vos obiectione adversariorum, cur Christus modo amicis, nec inimicis etiam, apparuerit, diu detineri patientur, ostendendo, tum eos illa gratia fuisse indignos nec credituros Matth. XXVIII. 11. seqq. Actor. XXIII. 18. 19. tum uni acerrimorum hostium apparuisse Christum, Sauli scilicet Act. XI. 3. seqq. 1 Cor. XV. 8, tum ad faciendam fidem non magis apparitionem hanc conducturam fuisse (sive Pilatus & Sacerdotum Principes in Christum ea commoti credidissent, sive minus, h), tum Christum viam in apparendo elegisse & omnium optimam & sapientissimam i), quibus perceptis, beneque pensatis, quid est, quod ad convictionem gravissimæ de Christo resuscitato veritatis ulterius possit deesse? quid est, quod Vos detineat, *Civis O. O. Honoratissimi*, quo minus in eum toto credatis corde? quid, quo minus fructus illius resurrectionis in vestram fide adplicetis Rom. VI. 11. 23? quid, quo minus spem resurrectionis vestræ a Christi resurrectione petatis. 1 Cor. XV. 20. VI. 14? quid denique, quo minus gravissima inde, in novitate vitæ ambulandi, sumatis argumenta Rom. VI. 4? Dicitis ergo potius modis fructum ex Resurrectione Redemptoris capiat, faciatisque Vestrum! Hæc vera erit solemniorum dierum, in gratam resurrectionis Christi memoriam devote peragendorum, ratio. Cujus ingrediendæ cum nullas maiores iis, quæ ex resurrectione Christi ipsa petuntur, posse suppeditari causas moventes, iam evicimus: unicum his meis meditationibus piis addere sufficiat: *Mementote Jesum Christum resurrexisse ex mortuis ex semine David secundum Evangelium. 2 Tim. II. 8.*


h) Vid. *Knutzenius* L. c. Sect. VI. §. 73.

i) Vid. *Heur. Werneri Palmii Jesu Weisheit in der Offenbarung seiner Auferstehung.*

P. P. SVB SIGILLO ACADEMIAE

IPSIS PASCHALIBVS FERIS A. O. R. MDCCLIII.





scitaverit. Mentiris & tu, *Edelmann*, ita audacter mortem Christi pro eius venditando resurrectione. Nam ipse Iesus dixit, se suum corpus tribus diebus erecturum, vel vitae restitutum esse. Num hoc est, se ipsum sensu spinoziano aeternitate donare, & sancte vivere, aut exemplo sanctitatis & alios ad eandem vitae sanctimoniam perducere? Num hoc est, se corpus destructurum esse & relicturum? Cum discipuli corpus Christi in sepulcro quaerent, nec invenirent, postea autem Christum palpant & cibum capere vident: num hoc idem est cum tua spiritali resurrectione, *Spinoza*, aut num hoc idem est, *Edelmann*, ac in sepulcro corpus inventum esse inanimatum & alium seductorem se gessisse pro Christo & a discipulis agnatum fuisse. Nemo autem nostrum non videt, utrumque insanire, & cum se crederent esse sapientes, factos esse stultos. Interim, quantum infidelium interest, Christum esse suscitatum, negare, tantum nostra, in religionis nostrae certitudinem, in fidei, qua salvamur, integram notionem & naturam Rom. X. 9. ac in nostram iustificationem & salutem Rom. IV. 25. & I Cor. XV. 17. interest, nosse, eum resurrexisse. Igitur cum his diebus festis occasio, ad hanc cognitionem perveniendi, vel eam confirmandi, omnibus sacris dabitur concionibus: non erit, quod vobis, *Cives O. O. Honoratissimi*, praeter necessitatem huius cognitionis evitam, calcar, ad templa diligenter frequentanda, & in hoc etiam officii boni Christiani partem implendam meis addam admonitionibus. Aperient vobis hi sacri & laetissimi nuntii sepulcrum Christi, ut locum, ubi Salvator vester positus fuit, ipsi videatis vacuum Matth. XXVIII. 6. Demonstrabunt tum ex timore & diffidentia discipulorum Luc. XXIV. 20. tum ex custodum romanorum diligentia, tum ex illorum apud principes sacerdotum relatione Matth. XXVIII. 11. seqq. tum ex minus cohaerenti & in mendacium composita eorum narratione v. 13, neminem eum clam fuisse furatum. Testes in medium producent, non unum atque alterum, sed ultra quingentos I Cor. XV. 6. non auritos, sed oculos Act. X. 41. non nimis credulos Luc. XXIV. 11. aut phantasia vel spectro deceptos v. 39. sed usque ad injuriam fere incredulos Joh. XX. 23. & a-

